

loco medio fere ascensu tenebat, dejecto, confestim levis 1479
armaturæ eques pediti subjectus, hostibus pavorem, suis
vero audaciam adjecit. Quo factum est, ut Hetruscarum
copiarum turbatis ordinibus, ac in fugam disiectis, Ara-
gonii Urbinateisque in summum jugum evaserint. Hostes
castris potiti, magna ex parte Perusinam cladem resarfe-
re. Inde ad Collem oppidum castra admota: quo post la-
boriosam obsidionem capto, Florentini fractis animis ad
pacem inclinare cœperunt. Quam ut æquioribus conditio-
nibus impetrarent, Laurentius Medices, civitatis longe prin-
ceps, qui & publica & privata invidia apud Pontificem
& Regem eminebat, Neapolim, ut patriam periculoso
bello solveret, navigavit. Nec ita multo post, quum pax
secuta esset, Veneti copias, quas in Hetruria, Antonio
Donato legato, ad id tempus habuerant, per Hierony-
num Marcellum in Galliam revocarunt.